

Philosophorum Scholas præferant. De-
 mum aduersus singula quæ terribilia
 prouidebat, accommodata remedia, ve-
 luti præstitura venenis antidota dictauit,
 Regni gubernacula successoribus, quos
 matrimonio iunxerat tradidit, idētidem
 admonens, hoc istud consilio, hoc illud
 periculum declinate: Sic cum subiectis,
 sic cum amicis, sic cum hostibus uiuite:
 Hæc & alia similia, cum solita & acuta
 magis maiestate dixisset, tota mente in
 Deum versus expirauit, & è corporis vin-
 culis lætus excessit. O foelicem perfe-
 ctamque sapientiam, inter mortis angu-
 stias, cum cæteris hominibus nedum re-
 rum externarum, sed sui etiam ipsius vix
 vlla superest memoria, ita secum omni
 ex parte cōsistere, ita superstites consola-
 ri, tanquam non ipse, sed hi morituri sint,
 ita res suas disponere, ceū rus peteret non
 sepulchrum: Et Regno quidem in lon-
 gum consuluit, modò voces abeuntis ani-
 mis inhæserint, (nec quod multum ve-
 reor) externis vitæ consiliis euanescant.
 Ego autem hætenus Domini mei finem
 referens, inter contrarios affectus distra-
 hor, & amara quadam pascor dulcedi-
 ne, nec vnquam nisi lachrymis coactus